



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Libri Primi Decretalivm In VI. Bonifacii VIII. Papæ. Titvlvs I. De Svmma
Trinitate Et Fide Catholica. Capitvlvm Vnicvm. Fideli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

ac criminis participes non fuerant. Quare admonet Panormit. hic n. 2. quod Prælati delinquendo non obest Capitulo, si id non consensit, iuxta regulam 76. in 6. *Delictum persona non debet in Ecclesia detrimentum redundare.* Et reg. 22. in 6. *Non debet aliquis alterius odio pregrauari.* Interdum tamen iusta de causa accidit, ut alienam culpam alij quodammodo luant, quare in reg. 23. in 6. limitatè legitur, *Sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus.* Sic ex patre criminoso nati filij, dedecore aliquo notantur, ut apparet in natis illegitimè c. 1. & 2. de filiis presbyt. Item in liberis hæreticorum, c. 2. §. hæretici, de hæreticis in 6. Eorum quoque qui crimen læsæ Maiestatis commiserunt, l. Quisquis 5. §. filii. Cod. ad L. Iuliam Maiest. c. vergentis 10. de hæreticis. Præterea, si tale Prælati crimen sit, v. g. dilapidationis bonorum, ut ob id Conuentus suspectus reddatur, quodammodo etiam in Conuentum redundabit, prout Felin. annotauit in c. his que n. 2. de maior. & obed. Abb. in c. vlt. n. 8. de statu Monachorum, argum. eius textus, §. Si autem dilapidator. Alius casus videri potest in c. penult. de elect. vbi id dicam not. 2.

4 Notandum II. cum Gl. fin. hic; Licet doctrina Ioachimi, tanquam repugnans fidei Catholicæ, damnata hic fuerit, ipsum tamen auctorem eius hæreticum non fuisse. cuius oppositum non rectè hic docuit Abb. num. 4. Nam hæresis est error in fide, cum pertinacia iunctus. Clem. vn. hoc tit. & c. dixit Apostolus 29. causa 24. q. 3. vbi bene tradidit Gl. ver. pertinaci, *Licet teneat aliquis ea que sunt contra fidem, dummodo paratus sit corrigi, non est hæreticus.* Atqui Ioachimus iste errorem suum pertinaciter non tenuit, cum, ut in hoc c. ad finem habetur, scripta sua omnia Sedis Apostolicæ iudicio commiserit, seu approbata, seu corrigenda: Hæreticus itaque non fuit. Vide quæ docui lib. 2. Theol. moral. tract. 1. cap. 13. n. 2.

LIBRI PRIMI

DECRETALIVM

IN VI. BONIFACII VIII.

PAPÆ.

TITVLVS I.

DE SVMMATRINITATE

ET FIDE CATHOLICA.

CAPITVLVM VNICVM.

Fideli.

SVMMARIVM.

1. Spiritus sanctus à Patre & Filio tanquam vno principio, & vna spiratione procedit.
2. Rectè dicitur, quod Spiritus sanctus à Patre procedit per Filium.

Capitulum istud sumptum est ex Concilio generali Lugdunensi sub Gregorio X. Papa, Anno Christi 1274. constit. 1. vbi contra errorem à Græcis seu Orientalibus inuectum definitur; Spiritum sanctum à Patre, Filioque, tanquam vno principio, & vna spiratione procedere. Nam Græci existimantes, Spiritum sanctum tantum procedere à Patre, obiiciunt Romanis, siue Occidentalibus: Si Spiritus sanctus à Patre, Filioque procederet, absurdum id secuturum esse, ut duo sint spirationis principia, duæque spirationes. Ad hoc responderi debet, cum Concilio Florentino sess. 22. negando, id consequens esse: quia Spiritus sanctus à Patre non procedit ut Pater est; neque à Filio, ut Filius est; sed quatenus vterque Spirator est: Ideoque Spiritus sanctus non procedit à Patre, ac Filio, quatenus oppositionem relativam habent, sed secundum spiratiuam potentiam, quæ vna eademque est, à Patre æternum Filio communicata. Quamobrem & id rectè dicitur, quod Spiritus sanctus à Patre procedit per Filium, teste S. Thoma 1. p. q. 36. a. 3.

A 2

TITV.